



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Expers est vanæ gloriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

garet, ad 27. Septembris anni 1617. legique non modò in schedis manu scriptis, sed & in chartis typo pressis, à pueritiâ vouisse eum virginitatem suam Deo, ad honorem Virginis Matris. De quâ Virgine conuenerat inter ipsum, aliosque Nouitios (quod Tyrones illi non obscurè præ se ferebant) vt per omnem occasionem in sermone loquerentur; quod præstabant non minore fide quàm feruore: & Ioannes quidem, in hoc peculiari Virginis cultu magnos indies habebat progressus (quod alibi ampliùs dicitur) & ob Virginis amorem sancti quoque Iosephi affectum cum ipse induit, tum in alijs hortatu suo excitauit. Tantis illi pectus circumfluebat lætitijs, cum vel secum reputaret, se Deo in Religione seruire, vt subinde in cubiculo, agendis Deo gratijs vacans, in risum suauissimè solueretur; quòd verò reddendis pro tanto uocationis beneficio gratijs se imparem longè sentiret, Sanctorum suorum tutelarium gratiam interponebat, dolebatq; submississimè, tam insigni se Dei muneri non satis respondere: quin etiam ardore tanto religiosi status bona apud exteros commendabat, vt eius amplectendi cupiditate nonnullos inflammaret. Humillimè de seipso sentiebat; interrogatusque aliquando, num inanis gloriæ lenocinijs subinde titillaretur; Ego, inquit, quæ

Deo Virginitatem à puero consecrat.

Socios ad B. Virginis & S. Iosephi cultum pertrahit.

Eius internum animi gaudium.

Sanctorum opem adhibet ad agendas pro se gratias Deo.

Expers uana gloria.

*Amans
obedientiæ.*

quæ Dei gratia est, bestiam illam non pertimesco. Obedientiæ virtutem amabat vnicè, eoq̄ue nomine S. Ignatium magis etiam diligebat, quòd tam præstantem de eâ Epistolam conscripssisset: censebatq̄, in rebus minimis studio maximo obediri debere, quòd intelligerent Superiores, quanto in pretio mandata sua haberentur; quoniam vbi res minimæ accuratè absoluteq̄ue seruentur, ibi res magnas haud dubiè maiori quoque curâ administrari. Aiebat, absolutam illam beati Aloysij in minimis etiam rebus obeundis obsequentiam, non timore aliquo culpæ aut poenæ natam, sed desiderio ipsius virtutis.

*Obediendū
non timore,
sed amore
virtutis.*

Loquebatur aliquando, factâ sibi potestate, cum externo intra Collegij limen, quando alius ad eum quoque alloquendum superuenit: huic apertè Ioannes necessarium esse respondit, prius à Rectore facultatem colloquendi petere; eaq̄ue impetratâ, se, vti fecit, ad colloquium esse reuersurum. Si quando tyrocini tempore ægrè se habere sensisset, tamen obediendi studio, ad consuetam surgendi horam, manè se lectulo eripiebat; mox, copiâ à Superiore factâ, si opus foret, in lectulum reuersurus. Interrogante quodam, quâ ratione silentij lex perfectè seruari posset; Ego, ait, hac ratione facio: Summisse saluto si quem per viam offendo: tum si quid

*Re ipsâ
ostendit,
quo modo
obediendū
esse existi-
maret.*

*Silentij lex
quomodo
ab eo ser-
uata.*